

Quarto facit, quia donatio excedens quingentos solidos, quæ est prohibita à lege sine insinuatione, non firmatur juramento: ita Bald. in leg. Illud Cod. de Sacrosancti. Eccles. column. 5. & quest. 5. idem Bald. in leg. Data Cod. de Donat. Roman. in leg. Modestinus. ff. de Donat. ergo eodem modo & ratione ista donatio omnium bonorum absolute prohibita à nostra lege, non firmatur juramento: & ita expressè tenet & determinat Palac. Rub. hic in fin. & Didac. de Castill. hic.

Sed, his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò quòd talis donatio omnium bonorum præsentium tantum firmetur juramento hodiè in nostro regno. Primum, quia contractus nullus & à jure reprobatus, ex quo nulla penitus oritur actio nec obligatio, firmatur juramento de jure Canonico; ut alienatio rei dotalis, contractus minoris, donatio inter patrem & filium, donatio inter virum & uxorem, renuntiatio futuræ successionis, & similis contractus: textus est in cap. Cum contingat, de Jurejur. textus in cap. Licet mulieres, eodem tit. lib. 6. textus in Authen. Sacramenta puberum. Cod. Si advers. vind. textus in cap. Quamvis, Pactum de pactis, lib. 6. Ex quibus infertur, quòd hodiè in nostro regno, licet donatio artharum sit prohibita & non valeat ultra decimam partem bonorum, ut in leg. 1. tit. 2. lib. 3. For. II. & in leg. 50. In his II. Tauri, tamen valebit & tenebit cum juramento: ita tenet Palac. Rub. in repetit. cap. Per vestras, de Donation. inter virum & uxorem, super Rub. fol. 14. column. 2. licet Glossa in dicta leg. 1. velit contrarium. Nec obstat primum fundamentum, in quo dicebamus quòd donatio omnium bonorum præsentium & futurorum est adeo reprobata, quòd non firmetur juramento. Quia illa est reprobata propter majorem & fortio rem rationem, scilicet quia apertè est contra bonos mores, & inducit votum captandæ mortis, & tollit libertatem testandi, quia actu & aptitudine numquam potest habere bona, de quibus testaretur, si valeret donatio: tamen donatio præsentium tantum non est prohibita his rationibus; quia licet privetur bonis præsentibus, posset tamen postea acquirere bona, de quibus testetur; aliàs etiam de jure communi non valeret: sed quia Princeps noster principaliter voluit providere utilitatibus subditorum, prohibetur per nostram legem ista donatio simpliciter facta; tamen cum juramento valeret. Non obstat etiam secundum fundamentum, in quo dixi, quòd quando lex prohibet contractum favore reipublicæ, non firmatur juramento: Quia debet intelligi, quando actus vel contractus prohibetur principaliter favore reipublicæ: sed in

nostro casu prohibetur ista donatio principaliter favore subditorum, licet secundario favore reipublicæ; ergo bene firmatur juramento: & ita probant jura superiora, & tenet Bartol. & communiter DD. in dicta leg. Si quis pro eo, final. column. ff. de Fidejussor. Bald. & communiter DD. in dict. Authen. Sacramenta puberum. Cod. Si advers. vind. Abb. & communiter Canonisti, in cap. Cum contingat, de Jurejur. Domin. & alii DD. in cap. Licet mulieres, eodem tit. lib. 6. Non obstat etiam tertium fundamentum, in quo dicebamus, quòd legi prohibitive non potest renuntiari etiam cum juramento: Quia illa sententia Bart. communiter reprobat secundum Paul. & DD. in dicta leg. Si quis pro eo. ff. de Fidejuss. & secundum Bald. Paul. Jas. & communiter DD. in Authen. Sacramenta puberum. Cod. Si advers. vind. quia si prohibitio legis non tendit principaliter favore reipublicæ, bene potest cum juramento renuntiari. Non obstat etiam quartum fundamentum, in quo dicebamus, quòd donatio excedens 500. solidos sine insinuatione facta, non firmatur juramento, ut tenet Bald. & alii DD. in locis supra allegat. Quia illa sententia & conclusio communiter etiam reprobat; quinimò valet & tenet cum juramento, per supradictas rationes: ita tenent Abb. Imol. & communiter DD. in dict. cap. Cum contingat, de Jurejur.

Quarto quæro, an hodiè pater habens filios possit extraneo donare quintam partem bonorum, de qua poterat antea disporre inter vivos, vel in ultima voluntate? Et videtur, quòd non; quia in effectu est donatio omnium bonorum, quæ est prohibita per nostram legem: nam alia bona, & sic quatuor partes præcisè & necessario sunt legitima filiorum; ergo quinta pars sunt bona libera præsentia, quæ habet ipse pater & donator: & sic apertè videtur quòd non possit valere ista donatio quintæ partis bonorum. Sed ego teneo contrarium, imò, quòd valeat & teneat. Primum; quia dispositio nostræ legis tantum verificatur & habet locum in omnibus bonis donatis, non verò in parte eorum. Secundò; quia licet aliæ quatuor partes debeantur ratione legitime, non tamen sunt effectæ filiorum, nec dominium est translatum ad eos, sed adhuc remanet penes ipsum patrem donantem. Tertio; quia licet aliæ partes pertineant filiis, illud est verum & procedit post mortem patris, & antea ususfructus pertinet patri, & per consequens donatori; & sic apertè sequitur quòd valet & tenet.

5. Quintò quæro, an ista donatio omnium bonorum præsentium valeat & teneat, si non fiat purè & simpliciter, sed causa mortis? Et videtur quòd sic: Primum; quia respectu effectus &

con-

confirmatione æquiparatur ultimæ voluntati, & secundum eam regulatur: text. est in l. 1. & per tot. ff. de Donat. caus. mort. text. in leg. 1. & per tot. Cod. eod. tit. text. in §. 1. Instit. de Donat. text. junctâ Glossa ordinaria, & communione, in leg. 2. ff. de Public. text. in leg. unica, §. fin. Cod. de Cad. toll. text. in leg. Cum pater, §. Eorum de legat. 2. text. in leg. Ut hæredibus, eodem tit. text. in leg. Si mortis, ff. Ad leg. Falcid. text. in leg. Quæ sub. conditione, §. Hoc editum, ff. de Condit. Instit. Secundo & in specie; quia licet donatio pura & simplex quæ excedit quingentos solidos, valeat & teneat cum solemnitate requisita in contractu, & requirit insinuationem; tamen donatio causa mortis requirit solemnitatem requisitam in ultima voluntate, & valet & tenet sine insinuatione: text. est in leg. fin. Cod. de Donat. caus. mort. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Sed his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò, quòd non valeat & teneat; quia respectu formæ, solemnitatis, & ordinationis, donatio causa mortis æquiparatur contractui: text. est in l. Inter mortis, ff. de Donat. caus. mort. text. in l. Tam his, §. 1. eodem tit. & tenet magistraliter Bart. & communiter DD. in leg. 1. ff. de Legat. 1. Secundo & in specie; quia sicut hodiè ex nudo pacto donationis oritur actio, ut in leg. Si quis argenteum, §. Sin autem, Cod. de Donat. ita oritur ex donatione causa mortis: Gloss. est singularis & unica in leg. Cum pater, §. Mevio de legat. 2. & ibi notant & commendant Bartol. & communiter DD. & reputant singularem & unicam Ang. & Moderni in l. 2. de Legat. 1. ergo ita in casu & termini hujus nostræ legis ista donatio omnium bonorum præsentium respectu formæ, validitatis & ordinationis, æquiparetur contractui, non verò ultimæ voluntati; idè non valeat nec teneat. Non obstat text. in dict. leg. fin. Cod. de Donat. caus. mort. quia ibi consideratur effectus ipsius donationis.

6. Sextò quæro, an ista donatio omnium bonorum præsentium facta Ecclesiæ vel pio loco valeat & teneat? Et breviter & resolutivè teneo quòd sic: Primum, quia cum quis possit in vita personam suam & omnia bona sua præsentia & futura offerre Ecclesiæ vel monasterio, ut in Auth. Ingressi, Cod. de Sacros. Eccles. eadem ratione & à fortiori poterit donare bona tantum præsentia. Secundò & in specie; quia de jure communi donatio omnium bonorum præsentium & futurorum facta Ecclesiæ vel pio loco valebat & tenebat: ita Bartol. in l. fin. Cod. de Pact. pen. column. num. 13. & ibi communiter DD. præcipuè Jas. qui bene loquitur in column. num. 30. Bald. in Auth. Si qua mulier, Cod. de Sacros. Eccl. fin. col. Abb. in cap. In presentia de

Probat. 4. & 5. notabili, & tenet Palac. Rub. hic, in fin. dum tamen Ecclesia teneatur alere donatorem: & licet ad hoc nihil alleget, facit bene text. in l. Sunt qui in id eum trib. leg. seq. ff. de Re jud. & leg. 1. tit. fin. part. 5. & ita lex remanet utiliter expedita.

TEXT. LXX.

LA ley del fuero, que habla cerca de sacar el pariente mas propinquo la cosa vendida de patrimonio por el tanto, haya también lugar quando se vendiere en almoneda pública, aunque sea por mandamiento de Juez: y los nueve dias que dispone la ley del Fuero, se cuenten en este caso desde el dia del remate; con tanto que consigne el que lo saca el precio, y haga las otras diligencias que dispone la ley del Fuero, y la ley del Ordenamiento de Nîeva, y assimismo haya de pagar al comprador las costas, y el alcavala, si las pagó el comprador, antes que la cosa assi vendida le sea entregada.

Id est:

Lex fori, quæ agit de jure consanguinei propinquis rem ex patrimonio venditam tantundem redimendam, habeat etiam locum quum licitatione publica sit vendita, etiamsi (licitatio) sit ex Judicis mandato: & novem illi dies, quos lex fori disponit, numerentur in hoc casu à die venditionis absolutæ; modò is qui redemit consequatur pretium, & illas diligencias præstet, quas lex Fori disponit, & lex Ordinamenti Nîevensis; atque etiam emptor solvat expensas & vectigal, si emptor (primus) illud solverat, antequam res hoc modo redempta ei tradatur.

TEXT. LXXI.

QUANDO muchas cosas fueren vendidas por un precio, que sean de patrimonio, ò abolengo; que el pariente mas propinquo no pueda sacar la una, y dexar las otras, sino que todas las haya de sacar, ò ninguna dellas: pero si las dichas cosas fueren juntamente vendidas por diversos precios, en tal caso puede el pariente mas propinquo sacar las que dellas quisiere, haciendo las diligencias, y solemnidades en las dichas leyes del Fuero, y Ordenamiento contenidas.

Id est:

Quum res plures ad patrimonium pertinentes uno pre-

pretio fuerint vendita, non possit consanguineus propinquus aliquam earum, relicta aliis, tantumdem redimere; sed aut omnes simul redimat, aut relinquat: verum si res diversis pretiis vendita simul fuerint, poterit propinquior consanguineus quam voluerit redimere, adhibitis diligentibus, & solemnitatibus in predictis Fori legibus & Ordinamenti contentis.

TEXT. LXXII.

Quando la cosa que es de patrimonio, o abolengo, se vendiere fiada, que el pariente mas propinquo la pueda sacar por tanto assimismo fiada, con tanto que dentro de los dichos nueve dias de fianzas bastantes, a vista de nuestra Justicia, que pagará los maravedis porque assi fue vendida al tiempo que el comprador estaba obligado.

Id est:

Quum res ad patrimonium, seu avimonium pertinet vendita fuerit sub fide, propinquior consanguineus possit eam tantundem redimere etiam sub fide: modo intra predictos novem dies det sufficientem fidejussionem ac cognitionem nostrae Justitiae, soluturum se pecuniam quae fuit vendita, quo tempore (primus) emptor erat obligatus.

TEXT. LXXIII.

Quando el pariente mas propinquo no quisiere, o no pudiere sacar la cosa vendida por el tanto, el pariente mas propinquo siguiente en grado la pueda sacar: y ansi vayan de grado en grado por todos los parientes dentro del quarto grado, con tanto que sea dentro de los dichos nueve dias, y con las otras diligencias contenidas en la dicha ley del Fuero y Ordinamiento.

Id est:

Quum propinquior consanguineus non potuerit aut noluerit rem venditam redimere tantundem, propinquior consanguineus in gradu sequens redimere eam possit; & ita gradatim procedatur intra quartam gradum per omnes consanguineos: modo id fiat intra predictos novem dies, & cum caeteris diligentibus contentis in predicta lege Fori, & Ordinamenti.

TEXT. LXXIV.

Quando concarrieren en sacar la cosa vendida por el tanto el pariente mas propinquo con el Señor del directo dominio, o con el Superficiario, o con el que tiene parte en ella, porque era comun; preferase en el dicho retracto el Señor del directo dominio, y el Superficiario, y el que tiene parte en ella, al pariente mas propinquo.

Id est:

Quum in rei venditae redemptione tantidem concurrerint cum propinquiore consanguineo Dominus directi domini, aut Superficiarius, aut qui partem in ea habuerit, communi existente; in predicto retractu praefertur Dominus directi domini, & Superficiarius, & qui in ea habuerit partem propinquiori consanguineo.

TEXT. LXXV.

Si alguno vendiere la parte de alguna heredad que tiene comun con otro, en caso que segun la Ley de la Partida la pudiera el comunero sacar por el tanto, sea obligado el que la quisiere sacar a consignar el precio en el tiempo y término, y con las diligencias y solemnidades de la manera que la pudiera sacar el pariente mas propinquo quando fuera de su patrimonio y abolengo; de suerte, que lo contenido en la dicha ley del Fuero y Ordinamiento de Nieva y en estas nuestras leyes haya lugar y se aplique en caso que el comunero quiera sacar la cosa vendida por el tanto.

Id est:

Si aliquis vendiderit partem alicujus fundi, quem habet cum alio communem, in casu, quod socius juxta legem Partitae poterit (Hispanice poterat) eam retrahere (seu retinere tantidem) teneatur is qui retrahere eam voluerit, pretium illis representare (Hispanice consignare) in tempore, & termino & eisdem diligentibus & solemnitatibus quibus propinquior consanguineus illam retrahere potuisset: ita ut quod in predicta lege Fori & in Ordinamento Nievensi, & in hisce nostris legibus continetur, habeat locum & fiat, in casu quod socius velit retrahere rem venditam.

COMMENTARIUM

In Legem LXX.

Cum quinque sequentibus.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio principalis inductiva retractus.
- 2 Exemplum harum legum & earum declaratio.
- 3 An sufficiat quod res vendita sit solius patris, vel requiratur quod descendat ab avo vel ab alio ascendente?
- 4 An filius vel descendens naturalis tantum possit retrahere?
- 5 An filius vel descendens exheredatus & exclusus a successione ascendentium possit retrahere?
- 6 An filius vel descendens qui renuntiavit cum juramento non succedere patri vel ascendenti, possit retrahere?
- 7 An in Clericis & personis Ecclesiasticis habeat locum hujusmodi retractus?
- 8 Si filius vel descendens decedat intra tempus datum ad retrahendum, an transmittat jus retrahendi ad haeredes extraneos?
- 9 An jus retrahendi transeat in monasterium, quando proximior consanguineus ingressus est religionem?
- 10 An monasterio vendente rem ingressi, quae fuit patrimonii vel generis sui, proximior ejus possit retrahere?
- 11 An condemnatus ad mortem naturalem vel civilem possit retrahere?
- 12 An iudex qui non potest contrahere in loco & territorio suae jurisdictionis possit retrahere?
- 13 An proximior consanguineus possit retrahere a remotiori consanguineo?
- 14 An proximior consanguineus requisitus a contrahentibus teneatur declarare, an velit retrahere vel non?
- 15 Si plures res patrimonii vel generis unico & eodem tempore simul vendantur, an habeat locum retractus?
- 16 An tempus retractus incipiat currere a tempore contractus, an vero a tempore traditionis?
- 17 An tempus retractus possit currere a tempore traditionis factae?
- 18 Si quis vendat rem patrimonii vel generis cum pacto de retrovendendo, an concurrant venditor & proximior consanguineus?
- 19 An in contractu permutationis habeat locum retractus?

- 20 An in re data in solutum habeat locum omnis retractus?
- 21 Si res patrimonii vel generis vendatur sub conditione, an tempus retractus currat a tempore ipsius contractus, an vero a tempore existentis conditionis?
- 22 Si res patrimonii vel generis vendatur habita fide de pretio, an isto casu habeat locum retractus: & a quo tempore incipiant currere novem dies retractus?
- 23 An in re patrimonii vel generis pignoratitia vel obligata habeat locum retractus?
- 24 Si semel res patrimonii vel generis fuit vendita, & a proximiori consanguineo non fuit retracta, an postea possit retrahi?
- 25 An predicti novem dies qui dantur ad retractum, currant naturaliter, vel de momento ad momentum?
- 26 Si res patrimonii vel generis vendatur praesente consanguineo & tacente, an postea possit retrahere?
- 27 An & quando socius qui habet rem communem cum alio possit retrahere rem venditam ab ipso consocio?
- 28 An uxor habeat medietatem rei vel fundi, quem maritus retraxit constante matrimonio?
- 29 Si quis vendat fundum patrimonii vel generis, fructibus pendentibus, quos colligit emptor, an consanguineus, qui postea retrahit fundum, possit petere predictos fructus ab emptore perceptos?
- 30 Si res patrimonii vel generis vendatur, an debeatur Gabella, & quis teneatur illam solvere?
- 31 An Dominus directus vel Superficiarius possit retrahere, & an praefertur consanguineo vel socio?
- 32 Si proprietarius vendat suam proprietatem, an usufructuarius possit illam retrahere?
- 33 Si fructuarius vendat usumfructum quem habet in re vel fundo, an proprietarius possit retrahere?
- 34 Si Dominus proprietatis illam vendat fructuario, an tunc proximior consanguineus vel socius possit retrahere, vel praefertur fructuario?
- 35 An predictae leges regni, quae permittunt retractum, rescindant venditionem, & constituent in proximio rem vel consocium novum titulum & contractum?
- 36 Quae actio sit illa quae proprie competit consanguineo vel socio virtute predictarum legum ad hujusmodi retractum faciendum?

Materia retractus, de qua tractant istae leges, est valde utilis & necessaria, & quotidie versatur in practica in nostro regno; ideo magistraliter & perfecte volo eam attingere: quam divido in sex partes & articulos principales. Nam primo quaeram: In quibus personis habeat locum hujusmodi retractus? Secundo: In quibus rebus habeat locum praedictus retractus? Tertio, qui praferantur in hujusmodi retractu? Quarto, quae sint requisita & necessaria ad talem retractum? Quinto, an & quando ratione societatis & communionis habeat locum retractus? Sexto & finaliter, de aliquibus quaestionibus in materia incidentibus: Et in effectu omnia ista continentur in hac materia.

1. Quoad primum noto & colligo principaliter ex his legibus, quod consanguineus venditoris infra quartum gradum potest licite retrahere pro eodem pretio rem venditam ab eo, quae sit patrimonii, vel avorum suorum: & idem disponit *lex 13. titul. 10. lib. 3. Fori II. & l. 6. & 7. titul. 7. lib. 5. Ordin. & l. 230. in leg. Stili.* Sed pro fundamento & perfecta declaratione quaerenda est ratio principalis ejus. Et videtur quod non procedat: Primo, quia tendit contra liberam arbitrium, quod quis habet a jure divino, naturali, & positivo, disponendi de re propria in quem velit ad libitum voluntatis: text. est in *leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. text. in leg. In re mandata, Cod. Mandati, text. in leg. Id quod nostrum, ff. de Regul. jur. text. in l. 1. & per tot. C. & ff. de Contrah. empt. text. in leg. 1. & per tot. Codic. de Reb. alien. non alienand. text. in §. 1. & per tot. Instit. Quibus alienare licet vel non: text. in cap. 1. & per tot. de Emption. & vendit. Secundo & principaliter, quia talis dispositio tendit contra propriam substantiam & diffinitionem dominii, quod est jus perfecte disponendi de re, secundum Bart. & communiter DD. in *leg. Si quis vi, §. Differentia, ff. de Acquirend. possess. & probat bonus & expressus text. in l. Faminæ, §. Illud. in fin. Codic. de Secund. nupt. ibi: Pleno proprietatis jure obtineat, atque ex his nanciscendi dominii vel testandi circa quem voluerit, liberam habeat facultatem; text. in *leg. fin. versic. Sin autem, C. de Jure dominii impetrand. ubi dicit, quod dominium est plenissimum & absolutum jus rei, quod importat & causat liberam & absolutam facultatem disponendi de eo: & ad hoc reputat singularem & unicum Joann. Ign. in *leg. 1. §. Servus pignori datus, ff. ad Syll. text. in leg. unica, Codic. de Novo jure Quiritum tollend. ibi: Sed si plenissimus & legitimus quisque dominus sive servi, sive aliarum rerum ad se pertinentium. Quem dicit ibi Bald. raro alibi inveniri: Et forte ex his rationibus de jure communi****

ante leges nostras regias erat expressè prohibitus & reprobatus retractus, & omnis consuetudo ejus: text. est formalis & expressus in *l. penultim. Codic. de Contrah. emptio. cujus verba sunt: Dudum proximis consortibusque concessum erat ut extraneos ab emptione removerent, nec homines suo arbitrio vendenda distraberent, sed quia gravis hac videtur injuria, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur invito, superiore lege cassata, unusquisque suo arbitrio querere vel probare possit emptorem. Sed contrarium hodie disponunt praedictae nostrae leges, imò quod licite habeat locum retractus in nostro regno; & sunt licitae & justae, & optime potuerunt hoc disponere: ita probat text. in *cap. Constitutus, de in integrum restit. ibi: Et infra annum & diem a tempore contractus, ipsi tanquam proximioribus competeret jus offerendi pretium juxta consuetudinem approbatam. textus in dict. leg. pen. C. de Contrah. emptio. ibi: Nisi si lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit. Ubi licet cassetur & annulletur lex vel consuetudo praeterita quae permittebat retractum, tamen non derogat nec reprobat futuram, text. in *l. Venditor, §. Si constat, ff. Commun. praedict. text. in leg. Si emptione, §. Omnium, ff. de Contrah. emptio. Confirmatur etiam ratione licitae & naturalis affectionis, quam quis habet ad res majorum suorum: text. est in *leg. Lex quae tuores, vers. Meque verà, C. de Admin. tutor. text. in leg. Si in emptione, ff. de Minor. text. in fundo, ff. de Rei vind. text. in *leg. 1. §. Sed & si rem, ff. Si quid in fraud. patron. text. in *leg. 2. ff. de Usucap. pro emptor. text. in *leg. Peto, §. Fratres, ff. de Legat. 2. text. in *l. Cum pater, §. Libertis, eod. titul. Item etiam confirmatur; quia ex hac causa, ratione, & affectione, consanguineus, nedum descendens vel ascendens, sed etiam collateralis, praefertur extraneo in succedendo ab intestato: text. est in *l. 1. & per tot. ff. de Suis & legitimis heredibus, text. est in *l. 1. & per tot. ff. de Successorio. edicto, text. in *l. 1. & per tot. ff. Unde legitimi, text. in *leg. 1. & per tot. ff. Unde cognati. Item etiam praefertur in tutelam suscipiendo: text. est in *l. 1. & per tot. ff. de Legitimis tutor. text. in *l. 1. & per tot. C. de Legitima tutela. Item etiam praefertur in agendo civiliter in judicio sine mandato pro consanguineo: text. est in *leg. Sed & hered. ff. de Procurator. text. in *leg. Maritus, C. eod. tit. Item etiam praefertur in accusando criminaliter pro delicto commisso contra consanguineum: text. est in *l. Si plures, ff. de Accusat. text. in *leg. 2. §. fin. ff. de Adulter. Ergo merito praefertur in retractu.******************

2. Et adde prosequendo materiam, quod exemplum harum legum & decisionis earum est: quod

si

si quis habuit rem immobilem & dominium ejus, & post mortem reliquit eam in suo patrimonio & hereditate: & filius, nepos vel descendens eam vendat vel alienet; potest consanguineus infra quartum gradum eam retrahere ab emptore extraneo pro eodem pretio infra novem dies. Ex quo inferitur, quod si talis res vel fundus principaliter fuit alicujus fratris, vel alterius collateralis, & filius vel nepos eam vendiderit; frater, neque alter consanguineus collateralis ipsius primi dominii non potest illam retrahere; cum non descendat ab stirpe vel genere ascendentium, sed tantum collateralium. Item etiam inferitur, quod licet in successione universali, vel alia qualibet materia non coarctetur gradus successionis descendentium, sed habeat locum in infinitum; tamen in hac materia retractus coarctatur facultas retrahendi usque ad quartum gradum; tum quia est contra jus commune; tum etiam propter difficultatem probationis; tum etiam quia forte venditor, qui rem majorum distraxit, & ille, qui vult retrahere, sunt inter se collaterales, in quibus alia tractatur successio.

3. Item principaliter quaero: An sufficiat quod talis res vendita sit solius patris, vel solius avi; vel requiratur quod sit utriusque, ad hoc ut habeat locum retractus? Et qualiter intelligantur praedicta verba nostrarum legum Regni? Et ut clarius & perfectius intelligatur nostra quaestio, pono, quod pater habet & possidet aliquam rem vel fundum, quam ipse solus emit & sua industria acquisivit, & in ejus vita eam vendidit vel alienavit alicui extraneo; modo filius ejus in potestate, vel emancipatus & uxoratus vult eam redimere & retrahere ab emptore extraneo pro eodem pretio, an possit? Et certe iste casus jam contigit de facto, & fuit valde dubius in Audientia Regali de Valladolid, in quo fuerunt diversae & contrariae opiniones & sententiae. Et fundamentaliter & resolutivè dico, quod videtur quod in hac re, quae fuit solius Patris, habeat locum retractus. Primo, quia praedictae leges Regiae loquuntur alternativè, dicendo, quod in re patrimonii vel avorum habeat locum retractus: & ad veritatem alternativè sufficit unam partem esse veram: text. est in *leg. Ubi autem non apparet, §. Qui illud audivit, ff. de Verborum oblig. text. in *leg. Si stipulatus fuerit illud aut illud, eodem titul. text. in *leg. Eum qui certarum, §. fin. eodem titul. text. in *leg. Si heredi plures, ff. de Condit. instit. text. in *leg. Cum querebatur, ff. Judicat. solvitur. text. in *leg. Cum pupil. ff. de Condit. & demon.******

text. in *leg. Si is qui ducenta, §. Utrum, ff. de Reb. dubiis; text. in §. pen. Instit. de Hered. Instit. Secundo, quia in persona patris consideratur major affectio propter proximitatem gradus, cum sit in primo gradu lineae ascendentium: sed ratio, in qua se fundat hodie nostra materia retractus, est affectio ad res majorum, ut supra dixi: ergo in re patris habeat locum. Pro contraria tamen parte, imò quod in re solius patris non habeat locum retractus, sed debeat res descendere etiam ab avo: primo facit, quia praedicta lex fori, ad quam aliae leges novae Ordinationi & Tauri referuntur & confirmant aperte, vult quod talis res descendat simul à patre & avo; quia dicit: *Todo ome que heredad de patrimonio de avolengo quisiere vender: & postea in aliis verbis, dum dicit: Si ome de aquel avolengo quisiere comprar, ergo aperte vult & significat, quod retrahens debet esse nepos illius personae à qua res descendit. Secundo facit, quia cum nostrae leges Regiae sint correctoriae juris communis, & quodammodo impeditivae libertatis & facultatis disponendi de re propria in quem distrahens velet, merito sunt restringendae. (p)**

Sed his non obstantibus, pro perfecta doctrina & concordia in hoc singulari & difficili articulo dico: quod non sufficit quod res vendita sit solius patris, nec requiritur quod sit patris & avi: sed dico & teneo quod si quis vendat rem propriam, quam habet & acquisivit suo proprio labore & industria, & in vita vendat vel alienet in extraneum, non potest filius, nepos, vel descendens venditoris eam retrahere, nec hoc casu habeat locum retractus; quia repugnant verba, mens, & ratio praedictarum leg. si verò quis habuit & possedit rem propriam usque ad mortem, & reliquit in sua hereditate & patrimonio; tunc habeat locum retractus: & si res perveniat ad unum ex filiis virtute divisionis inter eos factae, vel meliorationis, vel praegati, vel quovis alio titulo, & iste filius & possessor post mortem patris vendat; tunc alter filius defuncti fraterque vendentis potest licite & justè eam retrahere: & isto casu proprie verificantur & procedunt praedictae leg. & verba earum dicentium: *Quod si quis vendat rem patrimonii, & confirmatur vera & clara ratione: quia si pater habuit rem propriam in vita ejus acquisitam, & noluit eam retrahere & conservare, sed de ea disponere, & ad eam non habere affectionem; à fortiore filius ejus non videtur justè dicere & affirmare quod ex affectione, ex eo quod res aliquando & forte per momentum fuit patris. Item etiam confirmatur concludenti fundamento: quia apud pe-*

(p) Pro hac sententia facit etiam *l. 15. tit. 11. lib. 5. Recop. vid. etiam Matienz. in dict. l. 15.*